

1177

1994  
A  
1386





37.  
DISPUTATIO IURIDICA  
COLLEGII PUBLICI,

De

TUTELA ET  
CURATELA.

Quam

Faucte Ter Opt. Max.

PRÆSIDE

Clarissimo & Consultissimo Viro ac Domino,

Dn. PETRO OSTERMANNO, I. V. Doctore  
Collegij Iuridici Dictatore.

In Alma vetustissimaq; Agrippinensium Vniuersitate  
publica disquisitioni, censura, ventilatio-  
niq; subiecit ac submittit

HENRICVS Hasselmann Essendiâ - Marco - Westph.  
Anno cl. 13. c. xxxi. s. Idus Ianuar.

Nunquam benè. Qui nunquam malè.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Excudebat Petrus Metternich, prope Augustinianos.

*Virtutum Ornamentis Pietatisque Conspicuis  
VVV. ac DDD.*

Dn. FRIDERICO *Asbeck* Seniori,  
Dn. TILMANNO *Leimgart* /  
Dn. IOANNI *Kloek* Seniori,

Curatoribus suis plurimū  
obseruandis ac Parentum  
loca debita obseruantia  
nullo nō tēpore colendis.

Nec Non,

*Optimo Præstantissimoque Viro ac Domino,*

Dn. ARNOLDO *Schlösser* / CLARISSIMI DVCIS  
LEGIONARII, IOANNIS von LOOMETATORI  
Pedestri prudentissimo, fratri affini semper hono-  
rando, gratificando.

*Ac iuxta,*

*Honestissimo prudentissimoque Viro ac Domino,*

Dn. IOANNI von *Schweden* / LIBERÆ IMPERIA-  
LIS CIVITATIS ESSENDIENSIS SENATORI  
dignissimo, Auunculo plurimū obseruando.

*Vt &*

*Integerrimo, V. I. Consultissimo Viro ac Domino,*

Dn. PETRO *Castrop* / EXSECRETARIO PRÆ-  
DICTÆ CIVITATIS ESSENDIENSIS, OPTIME  
constituto à Senatu Brandenburgico Iudicio Bochumensi Scri-  
bæ, ibidemque Causarum Patrono fidelissimo,  
Affini suo præstantissimo.

*Hoc Impensarum effectum simul hoc & acumen  
Ingenij, signum gratie idem meritis*

*Subnixè*

D. D. C. & O.

Henricus *Hasselmann*  
Respondens.



# D. O. M.

## DISPUTATIO IURIDICA, DE TUTELA ET CURATELA.

### THESIS PRIMA.



Tutele primitium verb. est tuto, as, are, dicunturque tales habentes potestatem Tutores quasi tutores, *inst. h. t. l. 2.* non quia pupillum tuentur, sed quia tueri debent, nam hæc appellatio nõ ab actu, sed ab officio tuendi deducta est, alias enim cum *Alb. de Ros. in suo dict. in verb. tutor* hac nostra tempestate (quod tamen bonorum sit pace dictum) ætymologia veriori Tutores, tollitores dicimus, eò quod plerumque bona pupillorum auferant & tollant. Cum autem vocabulum hoc sit æquiuocum, ab æquiuocatione sic poterit liberari: tutela quandoque pro conseruatione ponitur, *Flor. l. vt vim de Inst. & Iur.* quod quisque ob tutelam, *zu errettung* corporis sui fecerit, iure fecisse existimetur: quandoque pro qualibet defensione, *l. 14. C. de iud. & cal. l. 1. pr. de min. & apud Horat. 1. ep. 1.*

#### rerum tutela mearum.

Item *Cic. 3. de fin.* salutem hominis in Iouis opt. max. esse tutela. Translatè positum pro sustentatione, refectione, reperies apud *Pap. in l. diuort. §. fin. solut. matrim.* Continetur & eius appellatione, *Cura, l. 50. §. 1. ff. de leg. 3. l. 40. ff. de adm. & peric. tutel. l. cum pater. ff. de cond. & demonst. & contra ponitur Cura pro Tutela, nobis.*

2. Est autem vis ac potestas in capite libero ad tueandum eum, qui se sponte sua propter ætatem defendere nequit, iure ciuili data ac permiffa *pr. ff. de tutel. & inst. eod.*

3. Definitur vis, *Theoph.* habet ius, Latina tamen lectio mihi probatur cum *Pacio*, propter verba sequentia: Tutores autem sunt qui eam vim ac potestatem habent. *Accursius* mauult violentam potestatem, cum detur tutor inuitus, vt *C. de decur. l. nullus inst. de excusat. Tut. & Curat. in pr. & inuito ff. de tutor. & curat. dat. ab his l. nec non & ff. h. t. l. 11. nostra mens* subijcietur in hac thesi immediate sequenti.

4. Ac potestas, eaque Politica, quod *Gædd. in comment. ad l. 215. de V. S.* ff. etiam placet, & probatur idem *l. 1. §. equè personale l. fin. §. 1. ff. de mun. & hon. Alciat. ad d. l. 215.* vocabulum potestatis interpretatur auctoritatem, in eumque sensum adducit *Auth. ne defunctus in pr. Bene Hott. pr. inst. h. t. Pa- rētes & domini habent potestatem, non solum commodandi, sed etiam incommodandi & nocendi, & olim ius vitæ & necis l. in suis de lib. & posth.* Tutorum verò potestas posita est in commodando & incommoda arcēdo.

Vult Pacius duobus hisce vocabulis (vis ac potestas) vnā & eandem rem significari vt & in l. scire. de ll. & l. 1. de noxal. act. l. si idem C. de codic. §. sequens diuisio inst. de intendit. & posteriori verbo (quæ quoq; mens est Borcholt.) prius declarari, quemadmodum manus per potestatis adiectionem, in l. manumissiones de iust. & iur. & §. 1. inst. de libertin. Mynsing. vim hic accipi pro virtute & efficacia iuris, & potestatem pro autoritate & facultate putat, cui præbet assensum Schneid. in comm. inst. h. t. Hæc disp. 7. ad ff. h. t. lit. B. quibus posterioribus & ego consentio, sic mentem paulo ante nostram allegatam vides amice lector, pergit.

5. In Capite libero id est libero homine, nam caput liberum pro homine libero veteres dicebant. Gell. lib. 5. c. 19. & quamuis hæc verba (in capite libero) tam quod linguam attinet latinā possint ad Tutorem referri quam pupillum. per l. si quis tut. 12. ff. de test. tut. l. 32. ff. de R. I. §. item. inst. quib. mod. tut. fin. l. si arrogati ff. h. t. malim tamen cum Bart. ad l. 1. ff. h. t. Treutl. disp. 8. vol. 2. thes. 1. lit. A. & alijs ad tutoris personam referre. motus pr. inst. h. t. §. nam ex his.

6. Ad tuendum eum & c. in quibus verbis differentia constituitur inter Tutelam & Curatelam, datur namque illa personæ principaliter secundo rei. l. certarum 12. l. quia persona 14. ff. de test. tut. §. datus 19. inst. de excus. Tut. & Curat. Hæc vero principaliter rebus & non personæ minoris datur, alijs Curatores etiam tuentur personas l. 1. D. de curat. furios. sed argumentum ab ætymologia deductū negatiuè non affirmatiuè valet, malè namque infero: de meo fit tuum ergo est mutuum, cum possit alius esse contractus, vt Donatio & c.

7. Et denique iure ciuili eam introductam vel ex eo patet quod iure ciuili quoq; finiatur capitis scilicet deminutione, §. sed. & inst. de excus. Tut. Hodie de iure Constitutionis Iuliacensis idem obtinet Rechts Ordnung Herzogen Wilhelms / der Furstenthumben Süllich vnd Berge c. 46. his. verbis Nach dem die Unmündigen alters halben ihren sachen selbstn nie vorstehen können / so müssen dieselbe durch ihre vormünder / vnter deren Tutell sie sein sollen verwalten werden.

8. Quod si sic administrant dicuntur absolutè defensores à defendendis Pupillis primariò secundoque rebus eorū. l. 2. in fin. C. quando mul. tut. ff. fungi. non autem qui Pupillos spoliant. l. 7. §. 3. D. pro empt. Mynsing. & Schneid. in inst. h. num. 6. Treutl. vol. 2. disp. 8. thes. 1. lit. A.

9. Estque triplex secundum gl. in verb. permissum inst. h. t. & l. 52. C. de episc. & cler. inst. de test. tut. de legit. tut. de Att. Tut. Testamentaria, Legitima & Datiua & agitur primò de testamentaria quia quam diu hæc speratur cessat legitima. l. 11. in pr. D. de test. tut. prouisio namque hominis tollit prouisionē legis, arg. l. vlt. C. de pact. conuent. l. 39. D. de acquir. hered. l. 89. D. de. R. I.

10. Dicitur & alius tutor administrans seu verus, alius honorarius testamento scilicet datus, cui nulla incumbit administratio, sed tantum honoris, cau-

causa interponitur, velut persona dignior & honoratior quam Pupillus præ reliquis timeat & reuereatur & qui sit velut inspector ac obseruator totius administrationis. *l. iure. 26. §. 1. de test. tut. l. 2. de adm. tut.* vulgo supremum Tutorem nominant. Alij Protutores & falsi Tutores nominantur *de quius in ff. tit. de eo qui Protut. & qui fals. tut. auth.* est etiam Iure Saxonico Tutor Iudiciarius, qui ad iudicia similesque solemnitates mulieri datur *art. 47. lib. 1.*

11. Testamentaria est quando pater liberis suis impuberib. quos in potestate habet nec post mortem in potestatem alterius recaturis, testamento Tutores dat. *pr. ff. & inst. h. t.*

12. Dant autem soli parentes qui liberos in potestate habent *l. 1. in pr. D. de test. tut. l. 120. ff. de V. S.* nam illi pro liberis optimum capere consilium ijsque rectissimè prospicere velle dicuntur ob singularem affectionem, cum nullus affectus vincat paternum *l. 3. §. 1. D. de adm. & per. tut. l. 12. §. fin. D. ad l. Iul. de adult. l. vlt. in pr. C. de Curat. furios. &* quia patria potestas à tempore mortis patris videtur quodammodo in liberis continuari vsque ad tempus pubertatis. *l. 2. ff. de vulg. & pupill. subst. Hott. inst. h. t.* eiusdemque datio patriæ potestatis est effectus *l. 40. D. de adm. & per. tut. ex quibus patet matrem, Auiam maternam, auum, & patrem naturalem, vt qui liberos in potestate non habet, ijs tutores dare non posse l. 1. §. 1. l. 2. & vlt. ff. de confirm. tut. l. 69. §. mater. D. de leg. 2. l. 28. §. vlt. ff. de test. tut.*

13. Et I. Impuberibus filijs nam puberibus & adultis non dantur tutores sed curatores *inst. de curat. maioribus* verò 25. annis neque tutores neque curatores dantur, nisi furiosis & prodigis *l. 1. l. 16. & 17. ff. de curat. furios.* II. Nepotibus *inst. de tut. §. perm. sum.* III. Posthumis, in quibus requiritur vt si nati fuissent viuo patre, eius potestati subiecti fuissent, sui que facti hæredes, *l. 73. ff. de R. l. inst. h. t. §. cum autem.* Idem constitutum in der Rechtsordnung Herzog Wilhelms c. 46. præallegato, & hoc non ratione fictionis iuris, quæ quo ad commodum vult eos pro natis haberi *l. 6. & 26. ff. de stat. hom.* sed prærogatiuæ cuiusdam eius indultum puto *cum Imol. Mar. Salurn. Myns. in inst. h. Arum. exerc. 3. th. 5.* quæ ex maturo parentum fato deducitur, vt quibus nouisse parentes datum non est, simulac tristem lucem aspiciant parentum designatione tutores accipiant *l. 2. §. 4. ff. ad L. Iuliam. de adult.* Fictio namque plus operari non debet quam veritas, cum naturam imitetur, nec quis ad commodum tantum nascatur. Et sic posthumis tutor datus non prius est tutor quam posthumus editus sit *l. 19. D. de test. tut.* Dicitur autem posthumus, qui post humationem patris natus est *l. 3. §. 1. D. de lib. & post. l. 164. de V. S. l. 2. §. 5. ff. de relig. & sumpt. fan. l. 3. §. 1. D. de iniust. rupt. & irrit. test. Gædd. in d. l. 164. de V. S. IV. Emancipato tutor datus confirmatur §. sed & inst. eod. V. Exhæredato sine confirmatione *l. 4. l. 10. §. 2. l. 26. §. fin. l. 31. D. de test. tut. l. 77. §. 3. ff. de condit. & demonst. &* est in promptu ratio quia patria potestas vnde Tutoris oritur datio. *l. 30. ff. de adm. & peric. tut. non**

extinguatur exheredatione *tot. tit. inst. quib. mod. ius pat. pot. solu. l. 6. ff. de relig. & sumpt. fun. l. 46. ff. fam. hercis l. ult. ff. vnde legit. l. 6. §. 2. D. de bon. libert.*

14. Nec I. Pater modo sed & filius fam. *pr. inst. C. qui test. tu. dar. poss. II. seruus proprius cū libertate datus imò quāvis non fuerit ei expressè libertas relicta, tacitè videtur concessa & sic est tutor. i. ff. §. ad sciend. h. t. III. seruus alienus conditionaliter scilicet cum liber erit. ff. l. 21. de test. tut. inst. §. seruus autem alien. qui test. tut. dari poss. IV. Furiosus si furere defierit. l. si hereditas. 10. §. seruus. 4. ff. de test. tut. V. Minor 25. annis cū maior 25. annis factus fuerit *inst. qui test. tut. 9. furios.* iure vero Saxon. minor efficitur maior si annum 21. compleuerit. *Landrecht lib. 1. art. 42.* quo completo quin possit esse tutor non dubitatur.*

15. Et quidem quatuor sequentibus modis. I. ad certum tempus *l. tutor datus. 8. post. pr. ff. de test. tut.* II. ex certo tempore. *d. l. tutor.* III. sub conditione *d. l. tutor. inst. ib.* IV. ad certam condicionem *d. l. tutor* pendenteque conditione locus est tutori datiuo *l. si qui sub condit. D. de test. tut.*

16. legitima est quam vel intestato parente mortuo vel existente nullo testamentario, vel quando fecit testamentum pater & in eo scripsit tutorē, is autem viuente adhuc testatore mortuus est §. *quod aut. lex. inst. eod. l. intest. 6. ff. eod. lex XII. tab. proximis* defert agnatis cognatisue, hodierno enim iure indifferenter tutela tam ad cognatos quam agnatos pertinet, cum iure Nou. discrimen, inter agnatos & cognatos quo ad tutelam sit sublatum eaque secundum gradum & ordinem quo hereditas defertur promiscuè & indifferenter ad utrosque (post matrem scilicet & auiam quæ si secundis nuptijs & S. C. Velleiano renuntiēt omnibus ex latere agnatis & cognatis præferuntur solis testamentarijs tutorib. eas præcedentibus) deuoluitur. *Nou. 118. c. 5. Auth. sicut. C. de leg. tut.* ita tamen vt si plures eiusdem gradus sint & ad tutelam vocentur iudex vnum vel plures magisque idoneos quibus tutela committatur periculo omnibus imminente eligat. *d. c. 5.*

17. Et subdiuiditur hæc legitima in quatuor species: alia enim est legitima Agnatorum tutela, quam lex XII. Tab. proximis Agnatis defert & hoc, vt qui sperarent Pupillorum successionem, ijdem eorum bona tuerentur ne dilapidarentur *l. 1. in pr. ff. eod.*

18. Alia Patronorum, quæ competit ex eadem l. XII. tab. Patronis eorumue liberis in suos liberos libertasque. *l. 3. in pr. ff. de leg. tut.*

19. Alia Parentum, quæ defertur parentibus liberorum impuberum emancipatorum, non quidem ex verbis & mente l. XII. tab, sed ex interpretatione I. C. propter identitatem rationis ad exemplum & similitudinem legitimæ tutelæ patronorum. *d. l. 3. §. fin. ff. de leg. tut.*

20. Vltima denique Fiduciaria, quæ mortuo patre ( qui liberorum impuberum emancipatorum legitimus tutor erat ) defertur fratribus, vt sint tutores fratrum impuberum emancipatorū *inst. eod. in pr. & l. 4. ff. de leg. tut.*

21. Hodie vtriusque huius postremæ parentum scilicet & Fiduciariæ tutelæ



tutelæ vsus amplius non est, illius quidem cum emancipatione hodie ius agnationis non perimatur, ac proinde pater iure agnationis, atque adeo verè legitima tutela tutor sit. Huius autem ob eandem causam, & præterea quod hodie iure nouellarum inter agnatos & cognatos, quoad tutelas nulla sit differentia per iam ante dicta, prius etiam *Dd.* hic tradunt.

22. Dativus est legitimus actus, per quem datur tutor impuberi à Magistratu, & quidem hodie mutata Reip. formâ, quilibet magistratus municipalis & civitatum iudex indistinctè tutores dare potest, tam ex recepta consuetudine quam iure scripto, prout constitutum legitur in *Ordin. Polit. Carol. V. August. An. 1548. promulgatâ, & à Rudolph. II. Francofurti An. 1577. confirmatâ. Rubr. von den pupillen vnd minderârigen Kinderen Tutor vnd Vormunderen. s. so wollen wir.*

23. Ad petitionem matris vel proximorum consanguineorum, debent enim hi ad quos pupilli hæreditas pertinet quam primum fieri potest & infra annum à iudice petere pupillo idoneos tutores quod si facere neglexerint, priuantur successione Pupilli. *l. sciant. 10. C. de leg. hered. l. fin. & tot. tit. C. qui pet. tut.*

24. Testamentarijs legitimisque non extantibus *arg. ordin. rubr. inst. & ff. eod.* quod in iure validissimum sed non sine limitationibus de quibus vid. *Middel. in suis locis legalibus.*

25. Et Regulariter omnes qui in testamento tutores constitui etiam à iudice dari possunt. Excepto. I. seruo *l. in seruil. 7. C. eo. II. Creditore & debitore Pupilli, licet enim hi in testamento dari possint, cum fides eorum à testatore censeatur approbata & omnis suspicio fraudis remota inst. de satisf. dat. tut. in pr.* tamen à iudice tutores dari non possunt *Auth. minoris C. eod. III. Iudice, qui seipsum tutorè dare nō potest. l. prator. 4. ff. eo. IV. Cæco. l. luminib. C. eo. V. Milite. l. militia 4. eo. VI. Muto vel furdo. l. 1. ff. s. si. de tu. VII. Furioso. §. furiosus inst. qui test. tut. dari poss. VIII. minore 25. annis l. fin. C. de legit. tut. & denique IX. Exceptis Fæminis, quia virile officium est, l. fin. ff. de tut. & l. 2. de R. I.*

26. Quisquis etiam inuitus oblatam tali modo tutelam suscipere cogitur, *V. ff. de tu. num. 4. Gædd. in l. munus 18. ff. de V. S.* quod si nolit à magistratu extra ordinem cogendus est. *l. 1. in pr. ff. de adm. tut. l. si quis magistratus ff. de mun. & hon.*

27. Nisi iusta sit excusationis causa & æquitate nitatur quæ eâ deprecetur *l. 1. ff. de vacat. mun.* Notanter autem iusta dictum aliàs enim nunquam inuenirentur idonei *Treut. 2. vol. disp. 9. th. 1. li. A.* Eaque debet proponi intra tempus quinquaginta dierum *l. quinquaginta. 38. l. scire oportet. 13. §. 1. ff. de excusat. tut.* Curritque tempus hoc à die cognitionis. *d. l. 13. §. 1. ff. de excusat. tut. l. vlt. D. de tut. & curat. dat. ab his. secus si ultra centum milliaria tutor habitet, ut d. l. 13. §. 1. & seq.*

28. Aduersa nempe valetudo quæ impediatur quo minus quis suis rebus  
super-

superesse queat, *l. non. solum. 10. §. vlt. in fin. iuncta l. seq. 11. l. post susceptam. 40. ff. h. t.*

29. *Lis cum pupillis de omnibus bonis vel maiori parte. §. 4. inst. h. t. & l. propter litem. 21. ff. eod*

30. Numerus liberorum, & olim quidem numerus ternarius Romæ *l. 1. l. qui va. lib. & §. 1. inst. h. t.* in Italia quaternarius & in Prouincia quinquenarius *per d. l. 1.* Nec refert masculi illi sint vel feminae *l. 2. §. 7. ff. h. t.* modo superstites illi sint & legitimi *l. 2. §. 2. & 3. ff. de vacat. num.* vel in acie decesserint aut ob vulnera in ipso conflictu accepta alibi postea mortui fuerint. *l. 1. §. 2. ff. de incendi. & naufrag.* idem procedit in nepotibus ex filio præmortuo *l. 3. C. de his qui num. lib.* Hodie numerus trium & quatuor liberorum non sufficit, sed requiruntur indistincte quinque. *Ioach. Bad. disp. 5. ch. 4. lit. C.* Quamquam nec illi hodie utique locorum excusationem præstent.

31. Aetas septuaginta annorum. *§. item. maior. inst. d. t.* Et quidem annum septuagesimum completum oportet esse. *d. l. 2. pr. l. 3. ff. de iure immun.*

32. Imperitia literarum cum simplicitate & imperitia rerum coniuncta *l. Athleta. 6. §. fin. ff. h. t.*

33. Tria onera tutelæ non affectatæ quod si sit vna tam diffusa & negotiosa ut pro pluribus cedat itidem ad excusationem sufficit. *l. 31. §. vlt. D. h. t.*

34. Paupertas ostendens imparitatem huius oneris ferendi, quæ autem ea dicatur cum Schneid hic dico iudicis relinquendum existimationi.

35. Potestas cum dignitate, quæ tamen excusat à tutela noua suscipienda non suscepta. *§. Et quis potestatem. inst. h. t.* Et est eis excusatio concessa quæ talem honorem gerunt cum administratione tantisper dum eum gerunt, ne tutelæ causa publica planè utilitas interimatur.

36. Et similes videre licet. *in ff. C. inst. h. t.* Et hæc quoque tenent (quod notetur ad allegationem inferiorem futuram, seu potius ad thesin intelligendam penultimam vltimamq; in quibus de tutoris curatorisque agitur differentia) in curatore sed discretè.

37. Non tamen prius administrabunt res Pupilli tutores quam hæc antecefferint quiaque.

38. I. Decretum iudicis, ut scilicet decernatur eis administratio à iudice *secundum gl. in l. legitimos ff. eod. l. 4. iuncta gl. in verbum diuisa D. de adm. tut.* Quod nihil aliud est quam ponere ipsum tutorem in possessionem administrationis tutelæ. *ut inquit Ferrar. in d. verb. in suo vlt. testamento. num. 19.* Nec hæc solum in legitimo datiuoque sed etiam in testamentario locum habent nisi testator ei concesserit licentiam propria authoritate administrandi bona pupilli *Bart. in l. legit. & Angl. hic.*

39. II. Inuentarij confectio bonorum Pupilli, in quo nominatim scribenda & referenda sunt omnia mobilia bona & immobilia, Corporalia & alia iura incorporalia & omnes deniq; res ipsius pupilli, & si tutor inuentariū non fecerit præsumitur dolo malo suscepisse tutelam & tanquam suspectus

pectus remouetur ab officio tutelæ. *l. fin. in fin. C. arbit. tut.* Et tenetur ad omne interesse Pupilli per iuramentum, nisi à testatore fuerit tutori remissa confectio inuentarij *d. l. fin. C. arbit. tut.* Et sufficit secundum communem opinionem Dd. illud inuentarium fieri per publicum tabellionem extra iudicium *vt notatur p. Dd. in l. tut. qui reperit. 7. ff. de adm. tut.*

40. III. Iuramentum vtilia faciendi prætermittendique inutilia, id est, iuramento affirmabunt se ea facturos quæ in rem Pupilli erunt & inutilia prætermitturos. *l. fin. Nou. 72. vt hi qui obligatas.* Hodie tamen raro imponitur alicui tutori iuramentum corporale, sed admonetur iuramenti quod præstitit magistratui suo. *Schneid. sup. inst. de Agnat. tut. num. 17.*

41. IV. Expressa promissio defensionis Pupilli suscepturæ, quod videlicet Pupillum indefensum relinquere nolint tam in iudicio quam extra iudicium. *l. fin. §. defensionem 3. cum ibi. not. C. de adm. tut.* iurare etiã debent secũ opus erit suoq; tempore rationẽ tutelæ & reliqua reddituros. *Cyn. l. sancimus. §. pen. C. de adm. tut.* Tenentur autẽ ex ordinatione Politica Carol. V. & Rudol. II. omnes tutores singulis annis rationem reddere. *Rub. von den Pupillen vnd minderlarigen Kindern Tutorn vnd Vormündern §. item das; er. vers. vnd jährlich.* idem obtinet *Landr. lib. 1. art. 23. Weichbild. art. 49.* quod Nouellã electoris Augusti. 11. p. 2. ad omnes tutorũ species extenditur Nostris vero moribus fere non nisi tutela finitã id exigitur.

42. V. Denique per fideiussores vel pignora satisfactio vel Cautio rem Pupilli saluam fore. *inst. de satisfat. tut.* item expresse statutum est per imp. Carol. V. in comitijs August. anno 1548. in der Policen Ordnung sub titulo von der Pupillen vnd minderlarigen Tutorn vnd Vormündern his verbis: Ein Jeglicher Vormünder er sey gleich in Testamentsweise verordnet / oder durch das; Recht der Richter ergeben sol sich der Vormundschaft nit vnterziehen die Verwaltung sey ihm dann zuuorn durch die Obrigkeit decernirt vnd befohlen / das; er nach befohlner verwalung von allen Gütern ligende vnd fahrent Schulden vñ Registern ein Inuentarium auffrichten vnd rechmessige Caution vnd versicherung thun / auch mit gelübden vnd Eyd en beladen werde / das; er seinen Pfligkinderen vnd ihren Gütern getreulich vnd erbarlich vorseyn / see person vnd güter versehen vñ verwahren die Güter nicht in eignen Nutz lehren oder wenden / noch dieselbe ohne Vorwissen / erkantnis vnd Decree der Obrigkeit vereussern / verpfänden oder beschwerẽ wolle / etc.

43. Vt autem negotia contractusque geri possint cum pupillis, adsit est, necessum autoritas tutorum, non tamen omnibus, sed damnosis tantum; meliorem enim conditionem licet pupillis facere etiam sine tutorum autoritate, deterioerem verò non aliter, quam cum tutorum autoritate. *l. obligari 9. ff. eod. & §. pupillus inst. 9. de inutil. stip. & l. pupillus 11. ff. de acquir. rerum dom.* Hinc etiam pupillus ab obligatione quæ alij tenetur se liberare potest sine tutore, quod est verum per pactum de non petendo *l. contra iuris 28. ff. de pactis*, vel per acceptilationem *l. pupillum 2. ff. de acceptil. non autem per solutionem.*

44. Et requiritur persona tutoris sit præsens, & per seipsum non per nuncium vel epistolam suam auctoritatem præstet *inst. h. t. §. tutor l. obligari 9. ff. eod.* Et ratio *secundum Porc. h. n. 1.* est, quod præsentia tutoris in dubio dolum excludit & metum *l. transactionem 35. C. de transact.*

45. Idque expressis verbis, sola enim præsentia & taciturnitas tutoris non sufficit *l. etiam 3 cum ibi not. ff. eod. & l. 1. §. mutus D. de tut.*

46. Et in ipso actu qui à pupillo geritur statim & in continenti auctoritas interponatur, post tempus enim & ex interuallo interposita auctoritas nihil agit *inst. de auth. tut. §. tutor & d. l. obligari & l. 2. ff. eod.* nisi post modicum tempus intercedat *arg. l. si quis mihi §. iussum ff. de acquir. heredit.* & est ratio, quia videntur inesse quæ in continenti fiunt *l. lecta ff. si certum.*

47. Cùm autem non rarò contingat, quod tutores vel curatores negligenter vel improbè sibi delatum officium administrent *l. XII. tab.* eos tanquam suspectos, id est, qui fraudulenter in rebus minoris versentur, easue sordidè vel perniciosè gerunt, vel aliquid intercipiunt ex rebus pupillariibus in priuatos vsus transferunt, *l. tutor quoque. 3. §. nunc videamus. ff. eod.* repellit, nec expectandum vult iniquæ temporis administrationis melius enim est intacta iura seruare, quàm post vulneratam causam remedium quærere.

48. Et conceditur omnibus postulare tales suspectos tutores, namque contutor contutorem suspectum facere potest *l. 3. in pr. ff. eod.* & mulieres, mater, auia, soror, & nutrix, pupilli. etiam impudicæ *secundum gloss. inst. de susp. tut. in verb. procedunt in pr. & aliæ feminæ pudicæ,* quæ pietate ad huiusmodi accusationem ducuntur *l. 1. §. consequens ff. eod. & l. pietatis 6. C. eod. in fin.* Quod tamen fauore pupillorum tantum fit, regulariter aliàs accusare non possunt *l. 1. ff. de accusat. & l. mulieribus D. de pop. act.* Item adultus maior scilicet 14. annis, quia impuberes facile ad huiusmodi procederent accusationem, vt se à potestate tutorum liberarent. Et conceditur hæc postulatio prænominatis quando tutores vel curatores dolo malo perniciosè administrant *l. 3. §. nunc videamus ff. eod.* Item si culpa, socordia scilicet seu negligentia & imperitia non vt oportet, administrant *l. 3. §. fin. ff. eod.* licet quoad poenam infamæ inter dolo & culpa administrantem sit differentia: Remotus enim ob dolum fit infamis, at non remotus ob culpam, nec refert satisfactionem offerat, situe soluendo nec ne. Quinimò possunt suspecti remoueri ante administrationem *inst. de suspect. tut. §. suspectus,* vel in ipsa administratione, vel post administrationem, *l. 3. C. eod. l. Ha enim ff. eod.*

49. Finitur demum tutela pubertate pupilli, quæ in masculino incipit transacto 14. anno, in femina 12. idem de iure communi Feudali statutum est *§. præterea de prohib. feudi alieni per Fred. in vsib. Feud. & de iur. Saxonico* Ist zu landt vnd weichbildt recht / wann ein Knab vierzehn jahr vnd ein Mägdlein zwölff jahr voll hat / mündig / aber zu Lehnrecht / wann er 13. jahr vnd 6. wochen alt ist *text. est & gloss. ibid. Lehnrecht. c. 26. & gloss. in Weichbildt art. 26.* qualiter autem ætas probanda sit *vid. doctrin. Bart. in l. de atate 43. ff. de minorib.*

50. Arrogatione, quando pupillus cum consensu tutoris aut tutorum omnium, si plures sint *l. vlt. C. de auth. prest. arrogatur* tunc enim arrogatoris potestati subijcitur *l. si arrogati, 14. de tut.*

51. Deportatione, quando propter crimen commissum in insulam deportatur *inst. quib. mod. tut. fin. §. item finitur & d. l. si arrogati.*

52. Seruitute, quando pupillus libertus propter ingratitude reuocatur in seruitutem *inst. ib. & d. l. si arrogati.*

53. Captiuitate pupilli, vel curatoris, vel tutoris, quia vtraque persona debet esse libera, tam tutoris quam pupilli, qua de re superius fufius tradidi in explicatione definitionis ruminatiōeque.

54. Adueniente conditione vsque ad quam tutor datus est à testatore, quia tutor legitimus aut datiuus non fit sub conditione *l. actus legitimi ff. de reg. iur.*

55. Morte naturali, tam tutoris quam pupilli, mors enim omnia soluit, *c. deinceps 20. Nou. 22. de nups.* ita tamen vt mortuo tutore pupillus alium tutorem accipiat, non enim tutela hæreditario iure ad hæredem tutoris defuncti transit, neque hæres vllus in tutela succedit *l. 16. de tut.*

56. Capitis deminutione, & in pupillo quælibet capitis deminutio tollit omnes tutelas *inst. h. t. §. sed & capitis deminutione in fin.* tutor verò per duas priores esse desinit *inst. ib.*

57. Temporalis, finito tempore *inst. h. t. §. præterea*, nec requiritur ad hoc factum hominis, sed ipso iure finitur tutela, sicut relegatus ad biennium extra ciuitatem finito biennio redire potest, absq; alia licentia Principis *l. Imperator 8. ff. de postulat. & Bald. in proem. Digest. const. ad antec. §. hac autem tria.*

58. Remotione, de qua de suspectis dicens ne cramben bis coctã apponã.

59. Excusatione perpetua, de qua verba faciens de causis excusationum.

60. Finita sic tutela maximè consentaneum est æquitati, vt tutor administrationis suæ reddat rationem, & ob id tribus obligatur diuersis actionibus.

61. Directa, vt scilicet reddat rationem suæ administrationis, omnium gestorum & omissorum ex eo die quo se cognouit tutorem esse, & si non confecerit inuentarium iuratur contra eum in litem *l. tutor qui repertor. 7. D. de adm. tut.*

62. De rationibus distrahendis *l. 1. ff. de ratio. de tut. & ratio. distr.* per quam licet pupillo rationem à tutore redditam impugnare, & repetere res ablatas, vbi restituitur res ipsa & vera rei ablatæ æstimatio *l. 1. §. considerandum est 20. ff. de tut. & rat. distr.* aliquando etiam actio furti competit contra tutorem, quando constat eum res pupilli animo furandi contrectasse & abstulisse *l. 2. ff. de tut. & rat. distr.*

63. Subsidiaria, & hæc datur quando pupillus ex mala administratione sui tutoris passus est damnum, nec potest illud à tutore recuperare eius-

ue hæredibus & fideiussoribus eorumue hæredibus ( qui rem fore saluam promiserunt aut à nominatoribus qui idoneos fideiussores affirmarunt ) contra magistratum qui satisfactionem à tutore non exegit, vel exegit, sed recepit minus idoneam, tunc enim quasi deliquisse videtur magistratus, itaque in vltimum datur præsidium : Quando pupillis post omnia alia remedia non potest esse consultum & damnum ablatum aliunde resarciri nõ potest, vt tunc magistratus præstet *l. i. & tot. tit. ff. & C. de magistrat. conuen. inst. de satisfd. tut. §. fin.* Hodie vsu & consuetudine receptum esse, vt hæc actio subsidiaria aduersus magistratus nostros non detur opinantur nonnulli. verius tamen est, eam etiamnum durare & aduersus quosuis magistratus tutores dantes nec pupillis idoneè prospicientes competere, vt *re- ètè tradit Heig. hic n. 12. & seq.*

64. Estque prudentis tutoris finitâ tutelâ petere curatores puberi factõ vel eum admonere vt curatores petat, nisi enim hoc fecerit à periculo tutelæ non liberatur & si quid ex rebus minoris vsq; ad annũ vigesimũ quintũ perierit, tutoris damno & periculo perit, *l. ita autem §. si tutor. §. ff. de administr. tut. l. admone eam 7. C. qui pet. tut.* hodie ex generali consuetudine tutela cum cura comparata est *Vvesemb. parat. D. de ritu nupt. num. 8. Myns. ad § vlt. inst. h. t. n. 3.* possunt tamen tutores illa consuetudine non obstante finita per pubertatem tutela & rationibus redditis tutelam deponere & adulto curatorem dari petere, prout in *Cam. Imperial. sæpe factum attestatur And. Gail. lib. 2. obseru. 96. n. 6. v. possunt autem.*

65. Dat autem magistratus curatores puberibus, qui ipsi rebus suis superesse non possunt, vel ratione ætatis, vt minorib. 25. annis, vel ratione alterius impedimenti animi vel corporis, vt furiosis, prodigis, mente captis, mutis, surdis & perpetuo morbo laborantibus, *inst. de curat.* interdum etiam pupilli curatores accipiunt, si scilicet tutor ad administrationem non sit idoneus *inst. h. t. §. 5.*

96. Dicuntur à curando sicut tutela à tuendo *per inpr. dicta Donel. lib. 3. comment. c. 17. & in multis conueniunt. I. Quòd dentur ab iisdem magistratibus, qui ius dandi tutores habent §. i. inst. h. t. II. Tã curatellæ quàm tutelæ munus est necessarium l. fin. inpr. v. scientes C. de adm. tut. III. Sicut pupilli sunt in potestate tutoris vsque ad 14. annum, ita adulti vsque ad 25. completum inst. b. IV. Iisdem fere modis finitur cura, quibus tutela. V. Curator quoque tenetur inuentarium conficere proinde vt tutor l. fin. §. 5. C. de curat. furios. dat. VI. Sicut tutores ita & curatores satisfacere tenentur inst. de satisfd. tut. & cur.*

67. Differunt curatella & tutela. I. Quòd hæc detur in pupillos & finitur pubertate, sed illa in puberes, item furiosos & prodigos. II. Quòd hæc etiam in inuitos pupillos detur *l. 6. ff. de tut. & curat. dat. ab his,* illa vero non inuitis præterquam ad litem §. 2. *inst. h. t.* III. Hæc ex leg. XII. tabul. descendit, illa partim ex leg. XII. tab. partim ex constitutionibus. IV. Hæc triplex

triplex est, illa hodie tantum datiua. V. Hæc datur in personam, illa in patrimonium siue res, vel etiam vnâ certam rem, vel ad causam, *l. 20. ff. de rit. nupt. l. 8. C. de nupt. l. 12. de adm. tut. l. 7. in pr. D. de curat. furios. dat.* VI. Hæc ventri non datur sed illa *l. 20. ff. de tut. & curat.* VII. In hac potestate constituto præter eam alia dari non potest, sed illa potest dari *l. 9. C. qui tut. dar. pet.* VIII. Hæc quoad potestatem maior est quàm illa *d. l. 8. C. de nupt.* IX. Tutor præstare debet auctoritatem Pupillo si debeat obligari, *inst. de auth. tut.* sed vt minor obligetur non est necessaria Curatoris auctoritas. *l. 101. de V. O. l. 3. C. de in integ. restit.* X. Tutor interuenire debet in expediendis ijs quæ sunt solemnia, sed hæc per Curatorem expediri nequeunt. *l. 19. D. de auth. tut. l. 17. D. de Appellat.* XI. Mater si negligat liberis suis impuberibus tutores petere punitur sed si Curatorem non petat non punitur. *l. 1. D. qui pet. tut. l. 6. C. eod.* XII. Tutor tenetur Pupillo Actione tutelæ quæ est generalis nec cõpetit nisi finitâ tutelâ, Curator vero tenetur Adolescenti actione negotiorum gestorum quæ est de vno negotio & datur durante Curatione *§. vlt. Inst. de Att. tut. l. 4. in pr. D. de tut & rat. distr.* XIII. Tutela finitur pubertate anno 14. cura verò anno 25. de quibus omnibus Rittershus. *inst. h. t. Hott. ib. Schneid. in Inst. n. s. h. t. &c.*

## COROLLARIA.

### I.

Tutor testamento minus legitimè datus à iudice conformatus datiuus est, sapit tamen naturam Testamentarij Dd.

### II.

Naturali tantum filio Tutor datus testamento minus etiam solemniter cõfirmandus est, si patris affectio erga ipsum ostendatur ex eo quod aliquid ipsi reliquerit. *Mynsing. in Inst. de Tut. in §. permissum.*

### III.

Spurio nunquam rectè Tutor datur cum filij nomine non gaudeat. *gl. c. 1. ff. de test. tut.*

### IV.

Ab intestato Tutor à patre dari scilicet in Codicillis factis nullo condito testamento nequit, sed iudicis desideratur decretum & confirmatio. *Bald. in l. 3. & l. 2. C. de test. tut.*

### V.

Quando Pupillus plures habet iudices dico cum Azon. & Bart. quod

Quod iudex Originis seu domiciliij possit dare tutorem, qui res etiam in alia Prouincia sitas administrare debet, si que tutor excuset se ab administratione bonorum illorum, iudex illius Prouinciæ ubi bona Pupilli existunt prouidebit de alio tutore *Cyn. in l. vn. C. ubi pet. Tut. & Fab. Inst. de Att. tut.*

VI.

Omnia bona Tutorum & Curatorum ipsis Pupillis pro ipsa administratione sunt hypothecata. *l. pro officio. 26. C. de adm. tut.* Et incipit hypotheca à tempore quo tutores & curatores incipiant esse *Neguzant. tract. de pignor.*

VII.

Potest arbitrio suo nubere Pupilla non expectato consensu Cognatorum, Affinium vel Curatorum. *l. 8. C. de Nupt. l. 6. ff. de sponsal. & l. 20. D. de ritu Nupt.* ubi tamen non tam quid liceat quam quod honestum est considerandum erit. *iuxta R. I. 197.*

VIII.

Si certa ac euidentis sit Pupilli Contrahentis utilitas auctor Pupillo suo fieri tutor cogitur. *not. Goth. ad l. si Tutor. ff. 17. eod.*

IX.

In quæstionem cadit: Quando sunt plures Tutores vel Curatores, quem eorum conuenire primum pupillus possit? Et R. si fuerit indiuisa Tutela siue gesserint omnes siue nullus pupillum electionem habere quem velit conueniendi. *l. 2. C. de diuis. Tut.* Et quidem pro parte sua si sint omnes soluendo, sin minus conueniendi extantes soluendo quibus hoc casu beneficium cedendarum Actionum & utilis actionis conceditur. *l. 1. §. Nunc tractemus. ff. de Tut. & ration. distr. & d. l. 2. C. diuis. Tut.*

X.

Pupillus quamuis obstante Regula: Qui prior est tempore potior est iure, Regulariter antiquiorem & expressam hypothecam habentibus præferatur, & quidem specialem, generalem tamen habentibus præfertur *VVes. paratit. ff. Qui pot. sin pign. n. 3. in med. l. idemque. l. fin. ff. eod. & latissime Neguzant. in tract. pign. in 5. par. mem. 2.*

XI.

Quod si plures Priuilegiati cum Pupillo concurrant, admittuntur unusquisque pro parte. *ff. de Sal. interd. l. 1. §. si colonus. & l. fin. ff. de pign. l. si debitor*



debitor. Dyn. ad. d. R. I. 54. qui prior. Et hic æqualitas ad Geometricam  
proportionem est redigenda, vt videlicet æqualiter diuidant, non æ-  
qualibus analogia Geometrica proportionib. sed pro rata debiti quan-  
titate. l. pro debito. 6. C. de bon. auth. iud. poss.

XII.

Quamuis Regulariter in Iudicio non possit esse minor sine suo Cu-  
ratore. l. non è minus. C. de Procurat. Pro patre tamen potest. l. exigendi.  
C. eod. Nec possunt Curatores ipsi procuratorem ad iudicium consti-  
tuere qui cum ipso minore interueniat nisi ipsi Curatores Domini li-  
tis prius facti fuerint, litem contestando. l. neque. C. eod.


---


R. AD MOMVM.


**M**ome quid intendis studium subvertere nostrum,  
Excipis immerito vel cur hac stulte cachinno?  
Inspidi fateor sunt primitiaque saporis,  
Hoc peragens etiam primum tu corrige nostra,  
Depone inuidiam, formam non ardea sumat  
Mome tuam, sumptus faciendi sint quibus, ipse  
Summus Aristoteles Christianus quisve docebit.

F I N I S.





















X 2874408

94 A 7386

VD 17





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



IVRIDICA  
VBLICI,

A E T  
ELA.

t. Max.

D E

Viro ac Domino,

NO, I. V. Doctore  
Dictatore.

inensum Vniuersitate  
sura, ventilatio-  
bmittit

diâ - Marco - Westph.

. s. Idus Ianuar.

nunquam malè.

RIPPINÆ,  
prope Augustinianos.